

Spiritus sanctus est persona distincta, Patri Filióque coëssentialis, & ab utroque procedens.

SIt quale numen quis capiat, nisi
Qui lucis ipse est incola propriæ;
Quis eloquatur, præter unum
Indigenam venerandæ abyssi?
Hinc, hinc pusillam mens aciem procul
Humana flectat; nil crepet hîc suum
Vox nuper infans; quadrat auri
Sobria credulitas recenti.
Unus seipso est teste Deus, suæ
Ast unitatis tres socios habet;
Mirandus hos nodus cöarctat,
Limes & hos dirimit stupendus;
Haud ille tantùm nomine dissonat
Trino, nec uno nomine consonat
Cœtus; sed ipsum abjungit ipsa
Res, ligat ipsáque res eundem;
Non distrahit partitio sectilis,
Confusio nec textilis implicat;
Sed perstat idem quisque, & æquus
Cum paritate tenetur ordo.
Originali luce pater micat;
Pulchram emicando gignit imaginem,
Perfectiones quæ parentis
Omnigenas referens adæquat;
Par gloriosum se sibi protinus
Arctissimis complexibus ingerit;
Rex indè Cœlorum alter idem
Sanctus Amor placidè resultat:
Æterna sic exuberat & simul
Primo seipsam essentia continet
In fonte; se confert duobus,
Nec minùs hic sibi se reservat:
Ceu cùm supremi participem throni
Natum benignus constituit parens,
Junctique mox natus parénsque
Munus idem attribuunt nepoti.
Tribus potestas sufficit unica,
Simpléxque cunctis gloria competit;
Cernunt eâdem mente cuncta,
Cuncta manu peragunt eâdem.
Insignit omnes fallere nescia
Summè colendo pagina nomine,
Quod nil creatum adsumat absque
Sacrilegi vitio furoris;
Tantóque dignas res titulo simul
Adscribit, ortis viribus absonas,
Queis fretus Orbis rector arcis
Occupat æthereæ cacumen:
Durando prima excedere secula;
Præsentiâ complere quod uspiam est
Loci; futurum est quicquid altâ
E speculâ procul intueri;
Rerum stupendam de nihili sinu
Excire molem; & (quod magìs arduum)
Ejus gravi attritam ruinâ
Præcipuam reparare partem;
Grandem tueri lumine provido,
Nutúque forti vertere machinam;
Natura quas observat omnes
Pro libitu variare leges.
Sic attributis singula maximis
Persona fulget; non superabili
Virtute juxtà quisque pollet;
Gloriáque una coronat omnes.
Hinc cùm salutis janua panditur,
Ac alma justo fœdere gratia
Sancitur, immundósque verè
Nos benedicta repurgat unda;
Par jure cultus redditur omnibus;
Par, quippe summus; nititur integra
Spes singulis; sanctè dicatur
Obsequium Tribus æquum, & Uni.
Hæc ore certo ipsissima veritas
De se retexit; Spiritus hæc fide
Dignissimus nos de superna
Edocuit cathedra Magister.

Episcopo Romano nulla in Ecclesiam Anglicanam jurisdictio competit.

TRans mare quid dubiis ità nos cõmittere ventis;
Quæ rigidas Alpes scandere causa jubet?
Scilicet Ausoniis leges arcessimus oris:
Usque adeò stolidis merx peregrina placet.
At potiora domi, quàm quæ venalia Romæ,
Et facilè & gratìs sumere jura licet.
Prostat Cœli lex, æternis illita chartis;
Doctorémque ultrò se dedit ipse Deus;
An desunt oculi nobis, an corda? quid ergò
Scitamur Latii sensa maligna fori?
Cimmerias quorsum latebras invisere, nostros
Cùm lux irradiet desuper orta lares?
Præclaro Musæ passim fulgore coruscant,
Et Papæ injussu quod sapiamus adest.
Hîc quoque sanctorum constat successio Vatum;
In nostro multus præsidet Orbe Petrus;
Heu miser ille Petrus, cathedræ si affigitur uni,
Et solo vetuli cogitur ore loqui.
Insula Romanæ nihil est cur Anglica cedat;
Non minùs hæc sanctum pascere docta gregem;
Non minùs in sacris justum sancire decorem,
Causas ancipites vel resecare valens.
Quin puro verum sincerius edocet ore,
Nósque magìs justa cum ditione regit.
Est nobis quoque nata fidem virtute tueri,
Haud fictâ radians luce, corona triplex;
Quæ sapit, & cœli delatos munere nolet
Fucatâ titulos ambitione premi;
Nec, quicquid bruti jaculetur Roma fragoris,
Nos sinet immani subdere colla jugo.
Arte suâ facilis ludat præcordia Galli,
Hispanúmque gravem cogat iniqua pati;
Nativi juris vindex prudentior Anglus
Haud Italis prædam se dabit, atque jocum.
Invigiles propriæ sodes Romane saluti,
Te nostræ frustrà sollicitudo tenet;
Sollicitudo tui potiùs tenet anxia fastûs,
Et quæstûs urget non satianda fames:
Jus dare vis, nummos ut possis demere; si non
Desipimus, lis hoc cardine fixa jacet.

Julii 4. 1670. *In vesperiis Comit. Respond.* Isaaco Barrow, *pro Gradu S. Theol. Doct.* Coll. Trin. *Soc.*